UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

**Vinitor, Gerlacus**

**Coloniae Agrippinae, 1656**

Quinta pars tractat de caeremonijs Horarum Canonicarum in Choro solenniùs recitandarum, titulis sex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9459**

Visual Library

poris ac Sanguinis D. N. Ieſu Chriſti, in canticis & Organ's altiſſimum poteſt ſeruari ſilentium: omnesque quotquot ſunt in templo, Clerici, Cantores, Organiſtæ, Cuſtodes, ijque qui Organorum folles agunt, in genua procumbere, & facie ac animo ad SS. Sacramentum conuerſi, Deum cum omni deuotione ac pietate adorent.

# PARS V.

## TITVLVS I.

### *De Veſperis ſolemniter Celebrandis.*

*Cæren. Epiſ. lib 2 cap. 3. Gauantus comment. in Rubr Breuiarij ſect. 10. c. 3. n 8.*

1. SAcerdos hebdomadarius officium Veſperarum ſolemniter facturus, in Sacriſtia pluuiali coloris tempori ſeu feſto conuenientis ſupra ſuperpelliceum ſine ſtola aut etiam ſuper Amictum, Albam, Cingulum, & ſtolam in modum crucis ante pectus indutus, medius inter duos aſſiſtentes ſimiliter indutos iunctis manibus & cooperto capite procedit è Sacriſtia ad chorum hoc ordine.

*Gauantus loco cit.*

2. Procedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accenſis; quos ſequitur ſolus Cæremoniarius, ſi adeſt, tum alij de clero bini, deinde miniſtri pluuialibus induti bini & bini, poſtremò Celebrans medius inter duos vltimos pluuialibus indutos, qui fimbrias anteriores pluuialis ipſius parumper eleuant: & omnes hi, exceptis Acolythis, operto capite, iunctis manibus, oculis demiſſis & inceſſu modeſto procedunt, nemini caput detegentes niſi Epiſcopo, aut alijs Prælatis, aut ſummis Principibus.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 1.*

3. Cùm peruenerint ante Altare, diſcedentibus alijs ad Chorum, Celebrans, miniſtri pluuialibus induti, & Acolythi ſtabunt Lineâ rectâ, Ceroferarij erunt omnium poſtremi hinc, inde à

lateribus, in eorum medio presbyteri pluuialibus parati, & inter ipſos medius ſacerdos Celebrans paratus: ſimulque omnes detecto capite genuflectent, genuflexique parumper orabunt, deponentibus Acolythis ſua Candelabra, cum ceteris extinctis ſuper gradu Altaris laterali ſeu plano Capellæ.

4. Sacerdos Celebrans cum aſſiſtentibus & Cæremoniario, poſtquàm aliquantulùm orauerint ſurgit, & facta pariter altari profunda inclinatione, vel ſi in eo ſit Sanctiſſimum Sacramentum denuò genuflexione, ducente Cæremoniario accedit ad parata ſcamna in cornu Epiſtolæ, ibique Celebrans ſedet altiùs alijs aſſiſtentibus puluino ſaltem ſuppoſito. Vel Celebrans cum miniſtris prædictis ſalutando canonicos ab vtraque parte Chori capitis inclinatione, ducente Cæremoniario, accedit ad primum ſtallum ſeu ſedem ab ea parte vbi illa hebdomada Chorus aſſignatur, in qua ſede poſitum ſit puluinar, & alterum cum tapete ſuper ſcamno ſeu genuflexorio ante eundem poſito ſuper quo erit liber continens Antiphonas, Hymnum. & alia quæ erunt dicenda ad vſum Celebrantis, vel ſuper legili; quod apponitur, & amouetur, pro vt opus eſt. Reliqui parati ibunt ad ſcamna loco congruenti parata in plano Chori. Celebrans verò ſedet ibi paululum ſtantibus alijs paratis ante eum in plano: interim campanæ pulſantur, & organa tanguntur, donec per Cæremoniarium detur ſignum Celebranti, incipiendi, tunc enim ſtatim ceſſant organa. *Cærem. Epiſ. loco cit.*

5. Cùm per Cæremoniarium ſit ſignum inchoandi, Celebrans ſurgit, ſurgentibus omnibus de Choro, & ſtans detecto capite, dato bireto Cæremoniario, aut alio Clerico, verſus Altare dicit manibus iunctis & ſecretò *Pater noſter* & *Aue Maria* *Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 2.*

quibus

quibus integrè dictis eleuatur eidem pars dextra pluuialis anterior per viciniorem paratum, ſeu per Cæremoniarium, & idem manu dextra, palmæ manus ad ſe verſa, & omnibus digitis iunctis & extenſis, faciens ſibi ſignum Crucis à fronte ad pectus cantat intelligibili voce *Deus in adiutorium meum intende.* Et pro vnoquoque verbo tangit manu primò frontem, deinde pectus, mox humerum ſiniſtrum, vltimò dextrum ita vt finiat verba & Crucis ſignum & in fine iungit manus ante pectus.

6. Cùm chorus cantat verſum *Gloria Patri, &c.* annuente Cæremoniario Celebrans & omnes alij caput inclinant verſus Crucem ſuper Altari vſque ad verſiculum *Sicut erat, &c.* qui cùm dicitur primus ex aſſiſtentibus miniſtris paratis, factâ altari reuerentiâ, ac ducente Cæremoniario, aut alio, ſi abſit, accedit ante ipſum Celebrantem, cui profundè ſe inclinat, cauens tamen ne terga vertat Altari & expleto per Chorum Verſiculo *Sicut erat, &c.* & *Alleluia* vel *Laus tibi Domine, &c.* ipſe ſtans præintonat illi antiphonam primi pſalmi, qua per Celebrantem repetitâ, ipſe iterum factâ reuerentiâ ante illum, & Altare, vt prius, recedit cum Cæremoniario ad ſedilia in plano Chori depoſita, hinc inde, & ornata panno viridi, aut tapetibus, ibi ſtat cum alijs.

*Cærem. Epiſ. loco citato.*

7. Expleta per Chorum Antiphona ipſi Aſſiſtentes ex conſuetudine aut duo Cantores ſuperpelliceis induti, intonant primum verſum pſalmi vſque ad medium in medio Chori. Quo inchoato, & non priùs Celebrans & omnes alij ſedent, tecto capite ſicque remanent, ſedentes vſque ad Capitulum, niſi quatenus pro intonatione Antiphonarum & Pſalmorum ſurgere debeant.

8. Cùm dicitur verſus *Gloria Patri, &c.* in fine cuiuslibet pſalmi, omnes caput detegunt, illud-

que

que ſedentes profundè inclinant, eo modo inclinati permanentes vſque ad verſiculum *Sicut erat, &c.* excluſiuè.

5. Reliquas quatuor Antiphonas Cantores duo præintonant Canonicis ab vtraque parte Chori per ordinem incipiendo à dignioribus; & cùm aliquis ex Canonicis reſumpturus Antiphonam ſurgit, pariter omnes, tam Canonici, quàm alij de clero ſurgunt & illo ſedente, ſedent. *Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 1. & 5*

6. Cùm cantatur vltimus Pſalmus, thuriferarius, facta debita reuerentia Celebranti, & Choro, accedet ad Altare, vbi facta ei priùs genuflexione, accendit cereos Ceroferariorum. Deinde facta iterum genuflexione recedit in Sacriſtiam vbi in thuribulo ignem præparat & alia ſibi neceſſaria.

10. Circa finem eiuſdem vltimi Pſalmi, Ceroferarij comite Ceremonario factis Celebranti, & Choro debitis reuerentijs accedunt ad Altare, vbi genuflectunt, candelabra cùm cereis accenſis accipiunt, & dum repetitur vltima Antiphona, vel citius, ambo, eodem comite Cæremoniario cum eiſdem cereis accenſis ſimul cum dictis miniſtris paratis accedunt ad Celebrantem, eique faciunt reuerentiam, ſeque hinc inde ante eum & à lateribus eius in plano collocant facie ad ſe inuicem verſa.

11. Finita vltima Antiphona ſeu ſono organi, Celebrans ſurgens, biretum tradit Cæremoniario, capite detecto iunctiſque manibus ſtans Capitulum cantat ex libro ſuper pulpitum vel genuflexorium poſito, vel etiam ab aliquo Clerico ſuſtentato.

12. Finito Capitulo, & reſponſo per Chorum *Deo gratias* vnus ex miniſtris aſſiſtentibus paratis, priùs facta altari debita reuerentia, accedit propriùs ante faciem Celebrantis, eique præinto- *Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 1.*

nat

nat initium Hymni, quo per eum repetito, aſſiſtentes factis iterum debitis reuerentijs, recedunt ad loca ſua, vbi ſtant nudo capite ſicut & Cæteri de Choro vſq; ad finem Hymni; Ceroferarij poſt inchoatum Hymnum reponunt Candelabra in loco aliquo congruo Chori, vel iuxta Altare, ſi Chorus non multum ab Altari diſtet.

13. Poſt Hymnum duo ex ijſdem paratis aſſiſtentibus, accedentes ad medium Chori ante Altare cum debita reuerentia æqualiter ibi ſtantes cantant ſimul Verſum voce altiori, quibus Chorus reſpondet. In plurimis tamen Eccleſijs, duo Acolythi, & ſæpè Ceroferarij, pari diſciplina, eundem verſum in eodem loco decantant manibus iunctis, & ſine candelabris.

14. Dum Chorus reſpondet ad verſum, dignior aſſiſtentium comite Cæremoniario, rediens ante celebrantem cum debita reuerentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, ipſe Celebrans, & alij omnes in Choro ſedent, ſi ſit feſtum duplex quovſque per Chorum perficiatur.

15. Interim duo Acolythi, ſeu ipſi Ceroferarij accedunt ad Altare, vbi facta genuflexione hinc inde, eleuant partem anteriorem veli, ſeu tapetis illi ſuperpoſiti, niſi fortè illud iam antè factum fuerit. Deinde Candelabra recipiunt & cum debita reuerentia accedunt ad Celebrantem, vel ad medium Chori, vbi ſtantes Celebrantem expectant. Si tamen Chorus ſit iuxta vel prope Altare, ibidem expectant.

16. Finita Antiphona in Choro, duo ex aſſiſtentibus pluuialibus indutis, intonant Canticum *Magnificat*, & tunc omnes ſurgunt; Celebrans verò, omneſq; alij aſſiſtentes depoſitis biretis ſuis ſuper ſedilia ſua, factoq; ſibi ſigno Crucis à fronte ad pectus, ſaluantes hinc inde Cano-

nicos

nonicos capitis inclinatione nudo capite, manibúsque iunctis ad Altare procedunt : Thuriferario, Ceroferarijs, & Cæremoniario ante eos præcedentibus, ita vt duo poſtremi aſſiſtentes, hinc inde eleuent partem anteriorem pluuialis Celebrantis.

17. Deinde ante infimum gradum, facta Altari debita reuerentia Celebrans cum duobus dignioribus aſſiſtentibus aſcendit ad medium Altaris, eoq; oſculato cõuertens ſe ad cornu Epiſtolæ, imponit ac benedicit thus in thuribula miniſtrante primo aſſiſtente Cochlear & Nauiculam, & Thuriferario Thuribulum ; acceptoque Thuribulo per manum eiuſdem aſsiſtentis Thurificat Crucem, Reliquias, ſeu imagines & Altare nihil dicens eo prorsùs modò, vt pagina 286. præſcriptum eſt, Aſsiſtente à dextris ipſius, eleuante partem dextram pluuialis, altero à ſiniſtris, ne ipſum Thurificantem impediant ; interim verò alij aſsiſtentes, ſi adſint, ſtant in plano verſâ facie ad Altare. *Cærem. Epiſ. lib. 2.*

18. Si aliud Altare eſt incenſandum, puta in quo aſſeruatur SS. Sacramentum, ſeu alicuius Sancti, pro more locorum de quo fuit feſtum, præcedunt Acolythi, & procedunt alij parati, vt in initio Veſperarum; atque Celebrans ea omnia facit quæ in incenſatione Altaris fiunt, excepto quod non ponit incenſum in Thuribulum. *Gauantus ſect. 10. c. 3. num. 18.*

19. Incenſatione Altaris, ſeu Altarium peracta, Celebrans reddit Thuribulum primo aſſiſtenti, & ille Thuriferario ſtanti in cornu Epiſtolæ, tum rediens ad medium Altaris, & aſsiſtentes hinc inde ſimul cum eo caput inclinant Cruci, poſteà in planum deſcendentes, debitas facient Altari reuerentias & eo ordine in Chorum redeunt quo venerant, ac ſeruatis ijſdem ſalutationibus. *Gauantus loco citato. n. 19.*

20. Mox

20. Mox Celebrans ſtans in loco ſuo, inuitato prius ad honorem incenſationis capitis inclinatione Canonico proximiori ſeu digniori qui immediatè, poſt eum incenſari debet, incenſatur à digniori aſſiſtente triplici ductu, cum profunda inclinatione ante & poſt incenſationem, cui etiam Celebrans modicum reſpondet.

21. Deinde Thuriferarius recepto de manu eiuſdem Aſſiſtentis thuribulo, thurificat omnes Canonicos Ordine ſuo, cum reuerentijs antè & pòſt duplici ductu. Si Aſſiſtentes ſint eiuſdem ordinis cuius ſunt Canonici, incenſantur ante Canonicos, quia ſunt parati; Si verò inferioris, poſt Canonicos, ſed ſemper duplici ductu, cæteros de Choro vnico ductu, & poſtremò populum, vt in Miſſa, in medio, à dextris & à ſiniſtris, Celebrante autem cantante *Dominus vobiſcum* ceſſabit à thurificatione quamuis non omnes thurificati fuerint.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 3.*

22. Dum dicitur verſus *Gloria Patri*, Thuriferarius ceſſans ab incenſatione ſe inclinat verſus Altare, quo dicto, proſequitur incenſationem, ſi iam non eſt completa.

23. Cùm repetitur Antiphona poſt Canticum Magnificat, tunc, non priùs, ſedent omnes. Interim Acolythi duo cum Candelabris, ac Cereis accenſis & miniſtri parati accedunt ad Celebrantem aſſiſtendo, vt ſuprà, factis ſolitis reuerentijs.

24. Expleta Antiphona, omnes ſurgunt, & Celebrans iunctis manibus, ac nudo capite, cantat verſus Altare *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, & Orationem cum ſua concluſione, vel plures pro qualitate temporum, ſecundum regulas & Rubricas Breuiarij.

25. Quâ ſeu quibus finitis, dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum* duo ex aſſiſtentibus, facta inclina-

inclinatione Celebranti, accedunt ad medium Chori verſus Altare, vbi anteà verſum decantauerunt, ibique facientes priùs Altari debitam reuerentiam, cantant *Benedicamus Domino*, tum facta iterum debita reuerentia ad Celebrantem redeunt, reſponſoque per Chorum ſeu Organum *Deo gratias* Celebrans humiliore voce dicit verſum *Fidelium animæ, &c.*

26. Dum dicitur *Benedicamus Domino* Ceroferarij cum debitis reuerentijs recedunt & candelabra vbi priùs in Choro deponunt, ſi ſtatim Celebrans non debet recedere in Sacriſtiam. Thuriferarius verò depoſito ſuo thuribulo in ſacriſtia, redit in Chorum.

27. Si faciendæ ſint aliquæ commemorationes, Antiphonæ debent inchoari à quibuſdam Cantoribus deſignatis regulariter, vel à duobus ex Aſſiſtentibus, verſus verò à duobus tantùm Cantoribus debent decantari.

28. Si Completorium immediatè dicitur poſt Veſperas, dicto a Celebrante *Fidelium animæ*, vt ſuprà, Aſſiſtentes, ſumptis biretis de manu Cæremoniarij, cum Ceroferarijs, & eodem Cæremoniario ſalutatis Clericis, nudo capite ab vtraque parte Chori, diſcedunt per Chorum, & extra illum tecto capite, eodem ordine quo venerant in Sacriſtiam redeunt, & ſi contingat eos tranſire ante, vel prope maius Altare, genuflectere debent ad gradus illius, vt initio Veſperarum, ibique aliquantulùm orent: ſi verò non ſint oraturi. Ceroferarij ſemper genuflectunt, & alij profundè ſe inclinant nudato capite, poſteà in Sacriſtiam redeunt.

29. Si verò non ſequatur Completorium, dicto à Celebrante grauiori voce *Dominus det nobis ſuam pacem*, poſt Orationem Dominicam,

*Gauantus ſect. 10. c. 8. num. 23.*

Celebrans incipit eadem voce Antiphonam de
B. Maria Virgine, quam poſteà ſtans ibidem, vel
genuflectens pro ratione temporis proſequitur
cum alijs; quâ finitâ ipſe Celebrans etiam ſtans,
vel genuflexus dicit verſum, & ſtans ſemper di-
cit *Oremus* & Orationem, in cuius fine dicit *Di-*
*uinum auxilium, &c.* Tum Ceroferarij candela-
bra ſua reſumunt, ad Celebrantem accedunt, &
cum eo & alijs facta debita Choro, & poſteà Al-
tari reuerentia, omnes, paramenta deponunt, ad-
iuuantibus ijſdem Ceroferarijs.

30. Si immediatè poſt Veſperas facienda ſit
Proceſſio, aut cantandæ Litaniæ tam B. Mariæ
Virginis quàm omnium Sanctorum, aut conti-
nuandum aliud officium, ſtatim dicto *Benedica-*
*camus Domino*, id faciendum eſt omiſſo verſu *Fi-*
*delium animæ, &c.* Qui verſus etiam non dicitur
quando immediatè dicitur officium Defuncto-
rum; aut immediatè poſt horam aliquam dicitur
Miſſa ſiue ſolennis, ſiue priuata, modò ſit Con-
uentualis.

## *ANNOTATIONES.*

§ 1. Notandum quod ſupradicto ordine ſemper
liebus Dominicis, & feſtiuis, quæ à populo obſeruan- *a* *em Epiſ. lib. 2 cap. 3.*
ur, à Canonico Hebdomadario, tam in Collegiatis,
tiàm Cathedralibus abſente Epiſcopo, Veſperæ ſer-
uentur, eâ tamen moderatione adhibitâ, quod in feſtis
ſolemnioribus, vt in Natali Domini, Epiphania, Pa-
ſchate Aſcenſione, feſto Pentecoſtes, Corporis Chriſti,
Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis B. Mariæ
Virginis, omnium Sanctotum, Sancti Titularis Eccle-
ſiæ & Pattroni Ciuitatis vel Eccleſiæ Dedicatione ſex
miniſtri cum pluuialibus Sacerdoti Veſperas cele-
branti aſſiſtere poſſint. In alijs feſtis immediatè ſub-
ſequentibus diem Natalis Domini, Paſchæ & Pente-
coſtes. Item in feſtis Circumciſionis Domini, Purifi-
cationis, & Annuntiationis B. Mariæ, Trinitatis, &
S. Ioannis Baptiſtæ, quatuor cum pluuialibus adhi-
beantur, in Dominicis & alijs feſtis duo.

§. 2. Quan-

§. 2. Quando Officium Veſperarum fit ſine aſſiſtentibus, vt in minoribus Eccleſijs, & quibuſdam Congregationibus, horâ competenti Celebrans indutus paramentis ſuis, vt ſuprà, procedit tecto capite in Chorum præcedentibus Thuriferario ſine thuribulo, & alio Acolytho, ſi fieri poteſt, à ſiniſtris eius, iunctis manibus, & nudo capite, quos ſequuntur Ceroferarij cum candelabris accenſis, & pergunt ad Altare vt præcedenti titulo dictum eſt. Facta oratione ad Altare vadit ad locum ſuum, vbi incipit Veſperas, intonat Antiphonam primam, alias verò Antiphonas intonant alij Clerici, ſicut & Pſalmos ſecundùm conſuetudinem. Celebrans cantat Capitulum, incipit Hymnum, & Antiphonam ad *Magnificat*, & cum ſupradictis quatuor Acolythis præcedentibus cum thuribulo, & candelabris procedit ad Altaris incenſationem, vt tit. præcedenti, & tum thuriferarius & eius ſocius ſupplent vices Aſſiſtentium in miniſtrando nauiculam & thuribulum, & eleuando hinc inde pluuiale Celebrantis dum incenſat Altare dimiſsâ priùs nauicula ab eo qui eam miniſtrabat in loco congruo. Poſtea reddito thuribulo, & factâ Altari reuerentiâ redit in Chorum cum prædictis miniſtris; ibiq; incenſatur à Thuriferario, & alij omnes vt ſupra: & finitis Veſperis redeũt eo ordine quo venerant in Sacriſtiam. Hic modus Celebrandi Veſperas in Eccleſijs ruralibus & Parochialibus minoribus, videtur aptior & conuenientior, & valde conformis Cæremoniali Epiſcoporum. Atque ſi in prædictis Eccleſijs immediate ſequitur Completorium, dicto *Fidelium animæ* debet ſtatim deponere Pluuiale quod alter Acolythorum defert in Sacriſtiam, & ipſe Celebrans reliqua proſequitur.

§. 3. In Veſperis Pſalmi decantari debent à Choro, & ab ipſiſmet Canonicis ac Beneficiatis alijſque in tono & cantu Gregoriano cum grauitate, & decoro, ita vt eorum verba ab omnibus intelligantur; ſed Verſiculus *Gloria Patri, &c.* poterit ſolemniore vocis modulatione recitari, ad quem omnes detectis capitibus ſedentes, vel prout reperiuntur inclinant: & ſi placuerit, finito quolibet Pſalmo, poterit Antiphona repeti per Organum, modo per aliquos eadem Antiphona repetatur. Et ſi quis eſſet qui cum Organo cantare vellet, nihil aliud cantare debet quam ipſam Antiphonam.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 1.*

*Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 28.*

§ 4. Hymnum Chorus proſequi debet in cantu

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 1.*

plano, vel Muſicali prout placuerit, dummodo verba
diſtinctè intelligantur, cui etiam Organum intermiſ-
ceri poterit, cùm tamen verba ipſa Hymni clara voce
per aliquos pronuntientur, vel cum Organo canten-
tur. Eademque obſeruari debent circa proſecutio-
nem Cantici *Magnificat*.

*Carem. Epiſ. lib. 1. cap. 38.* §. 5. Regulare eſt ſiue in Veſperis, ſiue in Laudi-
bus, vt primus verſus Canticorum, & Hymnorum, in
quibus genuflectendum eſt, qualis eſt verſiculis *Te ergo*
*quæſumus, &c.* & verſiculus *Tantum ergo Sacramentum, &c.*
quando ipſum Sacramentum eſt ſuper Altari & ſimi-
les, cantentur à Choro in tono intelligibili, non au-
tem ab Organo ſic etiam Verſiculus *Gloria Patri, &c.*
etiamſi Verſiculus immediate præcedens fuerit à Cho-
ro pariter decantatus; idem ſeruandum in vltimis
verſibus Hymnorum.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 1.* §. 6. Si fuerint Hymni *Veni creator Spiritus, &c.* aut
*Aue maris ſtella &c.* dum Celebrans Hymnum intonat,
omnes genuflectunt, & ſtatim ipſe Celebrans etiam in
ſuo loco genuflectit, permanens in genuflexione vſque
ad finem primi verſus; quo finito ſurgit, ſurgentibus
omnibus, & ſtat quouſque perficiatur.

*Car. Epiſ. lib. 2. cap. 14. Gauantus comment. in Rubr. Breuiarÿ ſect. 10. c. 3. n. 15.* §. 7. Si initium Hymni continet inuocationem
Chriſti vel Dei, v. g. *Ieſu noſtra redemptio? Deus tuorum*
*militum, &c. Veni creator, &c. Ieſu redemptor omnium, &c.*
Celebrans eleuat & iungit manus, & caput verſus Al-
tare inclinat.

§. 8. Si Thuriferarius aduertat non ſatis reſtare
temporis ad complendam totam incenſationem ante
Orationem, ſtatim poſt verſum *Gloria Patri*, relicta in-
cenſatione Cleri incompleta, vel ijs incenſatis, quaſi
ſine mora, pergat ad incenſandum populum, dum di-
citur verſus *ſicut erat*.

§. 9. In Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis
vrbis, duo Canonici, & duo Beneficiati bini ſolent
procedere poſt Celebrantem ad Altaris incenſatio-
nem, & verſus Altare genuflectunt, vel ſe inclinant,
dum thurificatur Altare vti facit Celebrans, ſtantes
verſâ facie ad Altare: & poſt incenſationem eodem
ordine quo venerant ſua ſedilia repetunt cum hono-
ris ſignificatione ad Celebrantem, ibique cum alijs
ſuo ordine thurificantur. Et hæc conſuetudo laudan-
da, & probanda videtur maximè quando Tabernacu-
lum SS. Sacramenti, eſt ad altare, aut quando eſt ex-
poſitum, ſed hæc ſicut & alia omnia in hoc Compen-
dio,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dio, & non in ipſis Rubricis, comprehenſa ſuperiorum iudicio relinquuntur.

---

# TITVLVS II.

## *De Veſperis ſolennibus præſente Epiſcopo.*

1. SI Epiſcopo placeat, parabitur ei ſedes ampla à latere Euangelij prope Altare, ita vt reſpiciat partem meridionalem, dum ſedet ſuper eam. Pro Celebrante verò parabitur ſcamnum oblongum à parte Epiſtolæ ſed paulò infrà ſedem Epiſcopi, ne Celebrans ſit omninò è regione, ita vt Celebrans ſit quaſi è regione dexteræ Epiſcopi. *Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 12.*

2. At cum Celebrans accedit ad Altare cum Miniſtris, vt ſuprà & aſſiſtentibus ſuis, ſalutat prius Epiſcopum nudo capite, & profundâ inclinatione, deinde altare, Thuriferario, Ceroferarijs & Cæremoniario genuflectentibus; Tum ad altare parumper orant, & poſteà factâ iterum altari debita reuerentia, & Epiſcopo, recedunt ad locum prædictum vbi Celebrans ſtat in medio ſuorum Aſsiſtentium, ſi ſit conſuetudo, vel illi accedunt in Chorum poſtquàm Celebrantem comitati fuerint ad ſedem, & ei primam Antiphonam præintonauerit primus Aſsiſtens, ſaltem ſi ſitus loci vbi Celebrans ſedet ad id cogat. *Cærem. Epiſ. cap. 2. n. 2.*

3. Deindè dicitur ſecretò *Pater noſter*, & *Aue Maria*, quod dicto Celebrans facit Epiſcopo profundam reuerentiam, quaſi licentiam petens. Deinde præintonat primam Antiphonam Celebranti primus Aſsiſtens, qua præintonata recedunt omnes Aſsiſtentes in Chorum præſertim ſi Pſalmos

mos & Antiphonas præintonare debent, vel il-
remanent, vt ſuprà.

4 Capitulum non per Celebrantem cantatur ſed per aliquem non paratum ex Cantoribus in loco vbi cantatur Epiſtola , cui nulli Aſſiſtunt præter Cæremoniarium ex more.

5. Hymnus præintonatur illi, & ipſe eum repetit, ſicut & Antiphonam ad *Magnificat*, cui etiam ea præintonatur, & dum ea cantatur in Choro, Cæremoniarius ducit Thuriferarium, & (deficiente Presbytero aſſiſtente Epiſcopi,) primum aſſiſtentem Celebrantis, ad Epiſcopum cum debitis reuerentijs, cui miniſtrat profundè inclinatus, nauiculam, & porrigit ei cochlear vacuum cum ſolitis oſculis dicens ei *Benedicite Pater Reuerendiſſime*, vel ſi ſit Cardinalis *Eminentiſſime*, & Thuriferarius miniſtrat genuflexus , thuribulum.

6. Benedicto incenſo & accepta etiam Benedictione ab Epiſcopo redeunt ad Celebrantem, qui factis debitis reuerentijs Epiſcopo, & Altari, incenſat ipſum altare de more , quo incenſato redit ad ſedem, vbi duplici tantùm, ductu incenſatur, tum Epiſcopus thurificatur triplici, & duplici ductu eius Aſſiſtentes, ſi habeat. Deinde alij ſecundum conſuetudinem ; & reliqua peragit vſque ad *Benedicamus Domino* incluſiuè.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 6.*

7. Reſponſo à Choro *Deo gratias* immediatè, & non præmiſſo *Fidelium animæ*, Epiſcopus dat ſolemnem benedictionem ſiue ſit paratus (& tunc tenet manu ſiniſtra baculum) ſiue non.

8. Aduertant autem Aſſiſtentes , & alij miniſtri vt ſemper ſalutent cum inclinatione profunda vel genuflexione Epiſcopum dum tranſeuntante eum, & dum præintonant Celebranti Antiphonam, renes ei non vertant , ſicut neque

Ceroſe-

Ceroferarij dum tenent candelabra ante eum ad Orationem, & tunc decet vt tam Aſſiſtentes, quàm Ceroferarij ſtent facie ſibi conuerſa.

## TITVLVS III.

### De Completorio.

1. QVandocunque Completorium ſolemni ritu eſt Celebrandum, Sacerdos Celebrans, aut hebdomadarius, ſtabit in loco ſuo Chori, habitu ordinario chorali indutus, officium verò ipſius erit circa hæc, videlicet, vt dicente Cantore *Iube Domne benedicere*, ipſe ſtans reſpondeat *Noctem quietam, &c.* & poſt lectionem breuem ſubdit idem Celebrans *Adiutorium noſtrum, &c.* ſe ſignans, deinde *Pater noſter*. Tum profundè inclinatus dicit *Confiteor* dicens *vobis fratres*, & *vos fratres* conuertit ſe ad collegiales ſuos, & ſic manet inclinatus donec Chorus totus dixerit *Miſereatur tui, &c* conuerſus ad ipſum Celebrantem, & tunc ſurgit, Chorus repetit *Confiteor* ad quod ſunt inclinati omnes profundè, & ſe conuertunt ad Celebrantem dicentes *Tibi Pater*, & *te Pater*, & dum Celebrans dicit *Miſereatur veſtri, &c.* conuertit ſe ad Chorum, & ad *Indulgentiam* ſe ſignat. *Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 4.*

2. Deinde facto ſibi ſigno Crucis ſuper pectus, pollice dextro, dicit *Conuerte nos*, & *Deus in adiutorium, &c.* ſe ſignando à fronte ad pectus, vt aliàs: & incepto Pſalmo ſedebit. Cætera omnia dicentur per Chorum vſque ad Capitulum quod Hebdomadarius cantat ſicut & initium Antiphonæ ad Canticum *Nunc dimittis* ſcilicet *ſalua nos*, Preces, verſus, & orationem, vt in Breuiario, demùm benedictionem dabit dicens *Benedicat*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*vos omnipotens. &c.* finitaque Antiphona de Beatiſsima Maria Virgine collectam eidem correſpondentem ſubiunget.

3. Quando verò poſt Completorium Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum reponendum erit, vt in precibus 40. horarum fieri ſolet. Hebdomadarius, aut alius in fine Completorij ſub Antiphona de Beatiſsima Maria Virgine in Sacriſtia indutus ſuperpelliceo, & Stolâ, & ſi haberi poteſt, pluuiali albi coloris. Deinde Thuriferario cum Thuribulo, Nauicula, cochleari, & duobus ſaltem Acolythis cum luminaribus præcedentibus, medius (ſi commodè fieri poteſt) inter duos Presbyteros ſuperpelliceis ac Stolis indutos, procedit iunctis manibus ad Altare in quo expoſitum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, factaque ibidem vtroque genu in plano Capellæ genuflexione, miniſtrante Presbytero aſſiſtente à dextris, aut in eius defectu alio cochlear: abſque oſculo; & nauiculam nihil dicendo, & Thuriferario thuribulo ter imponit thus in thuribulum; deinde in ſupremo Altaris gradu genuflexus ante SS. Sacramentum illud thurificat triplici ductu antè & pòſt thurificationem profundè inclinans; mox accedit ad Altare præuiâ genuflexione accipiet Monſtrantiam cum SS. Sacramento quam eleuatam ambabus manibus verſus populum tenens cantante Choro *Genitori Genitoque* benedicet cum ea populum, facie Hoſtiæ ad eundem verſa, in modum crucis, nihil dicens & gyrum perficiens, reuerenter reponit: Deinde ſurgens repetita ante infimum Altaris gradum genuflexione cum miniſtris, vt antè, redit ad Sacriſtiam.

## ANNOTATIONES.

§. 1. Ad Canticum *Nunc dimittis* nulla fit thurificatio Altaris.

§ 2. Organum in Completorio non adhibetur niſi quando ſolemnius in ſolemnioribus feſtis celebretur, quo caſu Organum adhiberi poterit, iuxta normam ſuperius Tit XXVIII. traditam ad Hymnum, Canticum *Nunc dimittis* & in fine ad Antiphonam Beatiſſimæ Mariæ Virginis. *Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 4.*

§. 3. Cùm Epiſcopus in Completorio præſens eſt & officium non facit omnia per Hebdomadarium in ſuo habitu Chorali fiunt, obſeruatis tamen debitis reuerentijs verſus Epiſcopum, nam ipſe Hebdomadarius ad verſiculum *Indulgentiam, &c.* in principio, & ad verſiculum *Benedicat vos Omnipotens Deus, &c.* in fine inclinabit ſe profundè verſus Epiſcopum. Reliqua fient ac ſi Epiſcopus præſens non eſſet. *Cærem Epiſ. loco citato.* *Cærem. Epiſ. ibidem.*

# TITVLVS IV.

## De Matutinis.

1. AD matutinas ſolemniter cantandas hora competenti congregantur omnes ad Sacriſtiam, vbi habitu ſuo Chorali omnes induti & congregati progrediuntur hoc ordine ad Chorum. Præcedit Magiſter Cæremoniarum, deinde duo Cantores, tertiò loco Hebdomadarius ſeu Presbyter facturus officium, ſequuntur alij Canonici ſeniores & digniores, deindè iuniores & minus digni. Cùm peruenerint ante Altare omnes genuflexi aliquantum orant Canonicus ſeu Presbyter facturus officium cum ſuis Clericis in plano Chori, ante Altare, alij hinc inde in eodem plano ab vtraque parte Chori. Surgente Canonico aut Presbytero prædicto cum ſuis Clericis omnes pariter ſurgunt. Qui facta Altari debita reuerentia ſalutatiſque hinc inde *Cærem. Epiſ. lib. 2 cap. 5. & 6.*

Clericis ab vtraque parte Chori, aſcendit Chorum in primo ſtallo, ſeu ſede ex ea parte, vbi ea hebdomada Chorus aſſignatur. Siſtit ſe & prope ipſum ſtat vnus magiſter Cæremoniarum. Sub ipſo in plano Chori, erunt duo Cantores, qui ſimul venerant, alij omnes ad ſua loca redeunt. Interim Canonicus facturus officium ſedet in puluinari ſupra ſedem ſuam poſito, habens ante ſe tapetem ſuper ſcabello cum puluinari, ſuper quo poſitus ſit liber apertus continens Antiphonas, Hymnum, & Orationem, quæ legẽdæ ſunt, vel ſuper legili, vt dictum in Veſperis.

*Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 5. & 6.*

2. Poſtquàm omnes venerint ad ſua loca, indicante Cæremoniario, ſurgit Celebrans prædictus, dicit ſecretò *Pater noſter, Aue Maria, & Credo.* Deinde ſignans labia ſua pollice dextræ manus cantat in tono competenti *Domine labia mea, &c.* & reſponſo à Choro, *Et os meum annuntiabit laudem tuam* eadem manu dextra producens ſibi crucem à fronte ad pectus eodem tono dicit *Deus in adiutorium meum intende.* Cum dicitur *Gloria Patri & Filio, &c.* tàm ipſe quàm alij omnes profundè ſe inclinant. Cùm dicitur *Sicut erat* erigunt ſe annuente Cæremoniario.

3. Interim duo illi Cantores accedunt ad medium Chori, facta priùs altari genuflexione, cantant ex libro ſuper legili ante ſe poſito, Inuitatorium integrè quod à Choro reſumitur integrè, & pſalmum *Venite*, interim omnibus ſtantibus vſque ad primum verſiculum primi Pſalmi.

4. Cùm cantatur *Et procidamus ante Deum*, tam Cantores & Celebrans quàm alij omnes genuflectunt, poſteà ſurgunt & proſequuntur *ploremus coram Domino qui fecit nos, &c.* in fine Pſalmi, poſt *Gloria Patri, &c.* repetita à Choro vltima parte Inuitatorij repetunt Inuitatorium vſque ad medium principium illius, quod

Chorus proſequitur: & interim duo illi Cantores facta Altari genuflexione accedunt ad Celebrantem, & ſtantes in plano ante ipſum, facta ei profunda reuerentia vnus ex illis à dextris præintonat illi Hymnum, quo per Celebrantem intonato, Chorus proſequitur ab eadem parte, vbi eſt Celebrans, deinde viciſſim ex altera parte, donec Hymnus expleatur; & in fine cùm nominatur Sancta Trinitas omnes profundè inclinant.

5. Expleto Hymno, idem Cantor qui intonauit Hymnum ſtans ante Hebdomadarium facta illi profunda reuerentia præintonat ei Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex libro ante ſe poſito, qua intonata, duo illi Cantores, facta reuerentia, accedunt ad librum Antiphonarum in medio Chori exiſtentem, & facta primum in plano genuflexione verſus Altare, expleta Antiphona incipiunt pſalmos primi Nocturni cantantes primum verſum in tono Antiphonæ aſſignato.

6. Primo verſu pſalmi intonato Hebdomadarius faciens officium, & cæteri omnes ſedent: Cantores iterum facta reuerentia Altari redeunt ad ſuum locum in plano Chori, & ibi faciebus ad altare verſis in ſcabello panno viridi cooperto etiam ſedent.

7. Circa finem cuiuſque pſalmi ſurgunt, & ambo accedunt ad alteram partem Chori: cumque *Cærem. Epiſ. lib. 4. c. 5.* pertranſeunt ante Altare in medio genuflectentes reuerentiam faciunt Altari; deinde Canonicum in primo ſtallo, ſeu ſede ab illa parte Chori ſedentem adeunt, & reperita prima Antiphona facta ei debita reuerentia alter ex eis vt ſupra illi intonat ſecundam Antiphonam, & ſic viciſſim ſemper faciũt ſucceſſiuè ſingulis Antiphonas præintonantes, & ſemper poſt inchoatum pſalmum

ad ſuum ſcabellum redeunt, vbi ſedent, dum pſalmus perficitur.

8 Circa finem tertij Pſalmi cuiuſque Nocturni ſurgunt, & accedunt ad librum, & factis debitis inclinationibus altari, & Choro, cantant verſiculum, quo incepto omnes ſurgunt, & à Choro reſponſo, Canonicus faciens officium intonat *Pater noſter* & reliquum dicit ſecretò.

9. Interim dum cantatur verſiculus, Cæremoniarius accedit ad iuniorem Canonicum, aut alium iuniorem, qui cantaturus eſt primam lectionem, & facta ei profunda reuerentia ipſum ducit ad legile, paulò antè cùm libro lectionum præparatum in medio Chori nudum id eſt, ſine aliquo panno, vel coopertorio, quo cùm peruenerit, genuflectit cum Cæremoniario verſus Altare, deinde profundè facit reuerentiam Canonicis, primum à parte Chori, vbi eſt Canonicus faciens officium, deinde ab altera parte & mox propriùs accedens ad legile reſpicit aliquantulùm in libro lectionem, quam lecturus eſt, & ſic ſtans exſpectat donec Hebdomadarius faciens officium cantauerit verſiculum, *Et ne nos inducas, &c* & abſolutionem *Exaudi Domine, &c.* cui reſponſo per Chorum *Amen.* Ipſe Hebdomadarius ſtans apud legile caput verſus Celebrantem profundè inclinans, petit ab eo intelligibili voce benedictionem dicens *Iube Domne benedicere,* & non *Domine,* ad quem ſic inclinatum permanentem Hebdomadarius faciens officium conuerſus ſtans reſpondet benedicens, videlicet *Benedictione perpetua, &c.* non tamen manu ſignans & reſponſo per Chorum *Amen.* Hebdomadarius & omnes alij ſedent, cantans verò lectionem, eam proſequitur altiori voce, diſtinctè, & modeſtè in tono competenti.

*Cærem Epiſ. loco citato*

10. Lectione finita cùm dicturus eſt *Tu autem*

*Domine*

*Domine* genuflectit verſus altare. Tum ſurgens *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 6.*
factis debitis reuerentijs ijs, qui in choro exiſtunt, diſcedit. Idem per omnia facit ſecundus, & tertius ac ſucceſſiuè alij in ſecundò & tertio Nocturno lectiones cantaturi, idemque per Hebdomodarium & Chorum obſeruatur quoad abſolutiones, benedictiones, & alia quæ occurrunt, dum *Pſalmi*, & lectiones cantantur, quod in primo nocturno ſeruatum fuit.

11. Lectiones cantantur feſtis præſertim diebus à Canonicis incipiendo à iunioribus ad ſeniores, & quando non adſunt tot Canonici primas cantant alij Clerici in choro exiſtentes.

12. Poſt Lectiones cantantur Reſponſoria, quæ à duobus Cantoribus inchoantur in medio Chori, & ab ijſdem verſus eorum integri, ſtando, vel ab alijs ſecundum locorum conſuetudinem, vt plurimùm tamen verſus prædicti debent à duobus Cantoribus cantari in medio Chori. Ad verſum *Gloria Patri* omnes nudo capite ſe inclinant.

13. Cùm cantatur per Canonicum textus Euangelij pro ſeptima lectione Hebdomadarius, & reliqui omnes ſtant, donec dicatur per dictum Canonicum *Et reliqua* & incepta homelia, ſedent. Ipſe autem Canonicus non debet recitando textum Euangelij librum, nec ſeipſum ſignare, nec manus iunctas tenere, ſed ſuper libro, prout in alijs lectionibus.

14. Dum cantantur primæ Lectiones tertij Nocturni, Acolythi accendunt cereos qui pro Laudibus ſunt accendendi, & eos quos in candelabris ſuis deferre debent, & dùm cantatur octaua Lectio Celebrans pluuiali delato à Sacriſtia aut alio, induitur vt ad Veſperas, ſed in loco ſuo, adiuuantibus Cantoribus & Cæremoniario; ibique etiam duo Cantores induant etiam pluuialia ſua.

15. Dum cantatur octauum Reſponſorium duo Acolythi cum cereis accenſis accedunt ad Celebrantem paratum cum debitis reuerentijs, vbi ſic te manent ſtantes dum cantat vltimam lectionem.

16. Finito octauo Reſponſorio, accedunt duo Aſſiſtentes prædicti ante Celebrantem facta ei debita reuerentia, & ipſe inclinatus verſus digniorem petit benedictionem ab eo, licet ipſe Celebrans ſit ſuperior; qua data, ſtans cantat vltimam Lectionem ex libro ante ſe poſito, ad quam omnes de Choro ſtant pro eius reuerentia, & nudo capite. Ipſe verò in fine dicens *Tu autem Domine miſerere nobis* profundè ſe inclinat Altari tantùm ſine genuflexione.

*Caſtaldus praxi Car. lib. 2. ſect. 5. c. 11. n. 11.*

17. *Reſponſo* à Choro *Deo gratias* primus Cantor præintonat illi hymnum *Te Deum* facta inclinatione antè & pòſt, quem ſtatim ipſe repetit, & Chorus eum proſequitur in cantu plano, vel muſicali, adhibito etiam organo; dummodo verſus *Te ergo quæſumus, &c.* à Choro ſemper cantetur, ad quem omnes de Choro genuflectunt. Inchoato autem hymno Aſſiſtentes ibidem remanent, vel ſi ſedes eorum ſit in medio parata, facta Celebranti reuerentia accedunt ad medium Chori, vbi facta tunc tantum profunda reuerentia, ſtant ad totum Hymnum.

## *ANNOTATIONES.*

§. 1. Parantur horâ competenti omnia neceſſaria pro Matutinis. Ad Altare paulò ante initium accendantur cerei Altaris, & pulſentur campanæ ſolenniori ritu. In medio Chori ſuper pulpitum nudum ponitur liber Antiphonarum, & Breuiarium grandioris formæ. In parte ſuprema Chori etiam in medio ponitur aliud pulpitum nudum, ſuper illud etiam ponitur aliud Breuiarium grandioris formæ ſignaculis ſuis aptatum, vt ex eo legantur lectiones.

§. 2. Præintonationes in Matutinis fiunt Hebdomadario à Cantoribus, ſi eſt Dominica, aut fiat Officium ſolenne, alioquin, ſi Officium non eſt ſolenne, neque Dominica omnia ſine præintonatione, ab ijs ad quos ſpectat, intonantur. *Directorium Chori in princ.*

§. 3. Cantores vocantur qui ex officio ad hoc ſunt deputati.

§. 4. Quando Lectiones noctu cantantur, Cæremoniarius, aut alius, adhibet paruam Candelam aut plures in Choro, ſi neceſſe ſit, nec à pulpito longiùs diſcedat, donec Lectiones cuiuſque Nocturni fuerint decantatæ, niſi quando Lectores ad legile conducit.

§. 5. Lector cantans Lectiones inclinatus manere debet donec benedictio expleta ſit. Tum erigit ſe, & poſtquam omnes ſederint, incipit, & non priùs ſuam lectionem in cuius fine dicens, *Tu autem*, genuflectit quiſquis ille ſit: quod ſemper debet obſeruari in pari caſu, excipitur tamen Epiſcopus, & Celebrans paratus, qui non genuflectunt, ſed tantùm ſe profundè inclinant Altari. *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 4. & 5.*

§. 6. Lectiones cantantur in feſtis ſolennioribus à Canonicis, vel alijs dignioribus, incipiendo ſemper à iunioribus, at quando non ſunt tot Canonici, priores cantantur à Clericis dignioribus de Choro, reliquæ à Canonicis. Cantare autem debent ſinguli eas voce & tono conuenienti, deuotè & modeſte, ita vt quæ leguntur ab omnibus audiri & percipi poſſint, manuſque ſuper librum poſitas habere debent vſque ad finem, ſemper Cæremoniarius ducit & reducit Lectores de ſede ad Legile, & de Legili ad ſedem.

§. 7 Ad cantandas vel legendas Lectiones in publico Eccleſiæ Conuentu aut conſeſſu, nulli admittendi ſunt pueri niſi qui ea quæ ad rectam pronunciationem & diſtinctionem requiruntur, optimè calleant.

§. 8. Quicumque ille ſit, qui cantat Lectiones, inferior Epiſcopo, dicit, *Iube Domne*, non *Domine*; & ſecundus in Choro, ſi maior: illo non ſit ibidem, profert verba Benedictionis. Quod autem Cæremoniale tribuit Epiſcopo ratione tantæ dignitatis, non debet inferioribus, eò quia maiorem in Choro non habeat, alioquin cuilibet maiori de Choro illud idem cõueniret. *Gauantus comment. in Rubr. Breuiarij ſect. 10. & 3. n. 4.*

§. 9. Hymnus *Te Deum* inchoari debet ſemper à Celebrante, niſi alia ſit Eccleſiæ conſuetudo, ſicut etiam Hymnus poſt Inuitatorium. *Gauantus loco cit.*

§. 10. In

§. 10. In Matutinis Clero ſedendum eſt ad Lectiones, &c, vbi eſt conſuetudo, ad Reſponſoria.

# TITVLVS V.

## De Laudibus.

Carem Epiſ. lib. 2. c. 7.

1. EXpleto Hymno *Te Deum* Celebrans incipit Laudes, in quibus omnia reſpectiuè ſeruantur circa intonationem Antiphonarum, Pſalmorum, Hymni, & alia quæ de Veſperis ſolennibus ſuperius dicta ſunt. Nam ſtatim finito Hymno *Te Deum* abſolutè inchoabit Laudes cantando *Deus in adiutorium* ſignando ſe ſigno Crucis à fronte ad pectus, prout ibi dictum fuit. Antiphonas eodem modo; & ijdem præintonabunt Canonicis dignioribus, vt in dictis Veſperis, eademque obſeruabuntur in ſeſſione, ſurrectione, & reuerentijs, dum pſalmi & Antiphonæ decantentur, quæ ibidem dicta ſunt. Sic etiam quoad Capitulum, & Hymnum: & cùm inchoatur Canticum *Benedictus* impoſito thure in thuribulum, thurificat Altare, prout ibidem explicatum fuit.

Carem. Epiſ. lib. 1. c 28. & lib. 2. c. 7.

2. Organum quoque ad Hymnum, & Canticum *Benedictus*, & in fine pſalmorum poterit adhiberi, cum norma, & regula ſuperius tradita. Denique omnia alia fient prout in Veſperis latiùs enarratum fuit. Adſunt tamen duo Aſſiſtentes tantum parati, & non plures. Dicto autem verſu *Fidelium anima*, ſi Hora prima continuetur, diſcedit cum illis, ſin minùs, dicit priùs Antiphonam B. Mariæ cùm ſuo verſu & Oratione, & in fine Verſum *Diuinum auxilium*.

Carem. Epiſ. lib. 2. c. 7.

3. Reliquæ Horæ Canonicæ non ſolent ſolenniter celebrari, niſi fortè Prima in vigilia Natiuitatis-

nitatis Domini, & ſæpè Tertia in quibuſdam locis, ad quam aſſiſtit Celebrans albâ & ſtolâ indutus & circa finem, parant ſe Miniſtri Sacri in Sacriſtia, vt ea finita aſſiſtant ſtatim Celebranti.

---

## TITVLVS VI.

### *De Veſperis, & Matutinis pro Defunctis.*

1. QVia in officijs Defunctorum diuerſæ ab alijs cæremoniæ in multis obſeruantur, ideò de eis eſt ſubiungendum: Et primò de Veſperis, & Matutinis, quæ celebrantur quotannis pro commemoratione, & ſuffragijs omnium fidelium Defunctorum immediatè poſt ſecundas Veſperas feſtiuitatis omnium Sanctorum, quæ ſimul, & iunctim in multis Eccleſijs recitari ſolent; hoc eſt, ſtatim poſt Veſperas omnium Sanctorum, Veſperæ, & Matutinæ Defunctorum ad hoc, vt populi commodiùs, & frequentius illis intereſſe poſſint. *Carem. Epiſ. lib. 2. c. 10.*

2. Poſtquàm igitur in ſecundis Veſperis omnium Sanctorum per Hebdomodarium facientem officium obſeruata fuerint, ea omnia, quæ ſuprà part. 5. tit. 1. expreſſa ſunt de Veſperis ſolemnibus, & ipſis ſecundis Veſperis expletis Hebdomadarius paratus pluuiali nigro ſupra ſuperpelliceum aut ſaltem, ſtola nigra, parumper ſedet in ſuo loco atque interim mutari poterit pallium Altaris, & Candelæ, videlicet remotis albis apponi ex cera communi poterunt. *Carem. Epiſ. ibidem.*

3. Poſt paululùm moræ ſurgit Hebdomadarius & detecto capite, verſus altare dicit ſecretò *Pater noſter* vſque in finem, & Chorus incipit Antiphonam *Placebo Domino, &c.* illam integrè recitando; qua finita & incepto pſalmo *Dilexi* ca- *Carem. Epiſ. loco citato.*

put

put cooperit & ſic ſedens manet, quouſque i-
choetur à choro *Magnificat, &c.* tunc ſurgit,
ſtat detecto capite vſque in finem: & cùm re-
titur per Chorum Antiphona poſt *Magnificat*
det; & eâ finitâ ſurgit, detecto capite, & comp-
tenti voce dicit *Pater noſter*, quod ſecretè com-
plet. Interim duo Acolythi Ceroferarij accedu-
ante Hebdomadarium cum Candelabris, & c-
reis accenſis, qui ſolent fieri ex cera commun-
*Carem. Epiſ. lib. 2. c. 10.* Hebdomadarius alta voce cantat ea verba ora-
tionis Dominicæ; videlicet *Et ne nos inducas, &c.*
cum alijs Verſiculis, reſpondente Choro, q-
habentur in Breuiario poſt Veſperas defunct-
rum, & orationem *Fidelium Deus, &c.* qua fini-
verſiculum *Requiem æternam, &c.* Choro reſpo-
dente *Et lux perpetua, &c.* deinde Chorus *Requie-
ſcant in pace.*

4 Quo dicto ſedet & poſt modicam mora-
capite detecto, dicit ſecretò *Pater noſter* eo finit-
adhuc ſtans capite aperto, Chorus incipit In-
tatorium *Regem cui omnia viuunt* pro Matutin-
cum pſalmo *Venite exultemus, &c.*

*Carem. Epiſ. ibidem.* 5. Cùm chorus incipit pſalmum primi No-
cturni Hebdomadarius & omnes alij ſedent co-
perto capite, & ſic manent quouſque dicatur p-
Chorum reſponſorium Verſiculi ante prima-
lectionem primi Nocturni; tunc ſurgit, & dete-
cto capite, dicit ſecretò *Pater noſter, &c.* vſque i-
finem, mox, ſedet capite cooperto, quouſque di-
ctum fuerit Reſponſorium Verſiculi ante quar-
tam lectionem ſecundi Nocturni, & tunc pari-
ter ſurgit, detecto capite, dicens *Pater noſter, &c.*
mox ſedens prout in primo Nocturno, idem fa-
cit poſt Reſponſorium Verſiculi tertij Nocturni
ante ſeptimam lectionem.

6. Lectiones ipſæ cantantur per Cantores ve-
per Canonicos; iuxta conſuetudinem loci; in

tono conſueto lectionum, & Reſponſoria lectionum per Chorum.

7. Deinde dicuntur Pſalmi cum ſuis Antiphonis pro laudibus; & cùm inchoatur Canticum *Benedictus* ſurgunt omnes, & cum reperitur Antiphona poſt *Benedictus* iterum accedunt Acolythi ad Hebdomadarium, & omnia fiunt, prout ſuprà proximè dictum fuit in fine Veſperarum huiuſmodi. *Cærem. Epiſ. loco citato.*

8. Cùm verò Veſperæ, & Matutinæ huiuſmodi recitandæ erunt alijs temporibus, quàm prædicta die Anniuerſaria omnium Defunctorum, tunc ſeruandæ erunt rubricæ poſitæ in Breuiario, in ipſo officio Defunctorum, niſi eſſent celebrandæ pro anniuerſario Epiſcopi, aut pro aliquo viro Principe, vel *Prælato* proximè defuncto tunc enim vt ſuperius omnia ſeruari poterunt.

## *ANNOTATIONES.*

§. 1. Proprios mores vnaquæque habet Eccleſia & laudabiles aliquando conſuetudines in horis canonicis in Choro recitandis, quas non tolli à Cæremoniali Romano, neque à Rubricis Breuiarij, ſæpiùs ſacra Rituum Congregatio declarauit, ſed cauendum ne ita pugnent cum vniuerſali Eccleſia, vt minùs laudabiles ſint peritorum iudicio quod ne fiat tam bene ea quæ præcedentibus titulis huius Partis quintæ dicta ſunt quàm ſequentes annotationes diligenter notandæ & obſeruandæ ſunt. *Gauantus comment. in Rubr. Breuiarij ſect. 10. cap. 2.*

§. 2. Quoniam maximus orationis fructus à condigna præparatione pendet: ideoque Eccleſiaſtici omnes ſtatim ac diuini officij ſignum per campanas, aut aliquid aliud datur, mox ab omnibus negotijs ſe expedire debent, vt melius animum colligentes, & ab omni tam exteriore, quam interiore tumultu auocantes, vni Deo intendere debent ad Eccleſiam, ac ſi Dei Opt. Max. aut ſaltem Angeli inuitantis, ac diuinas

laudes

laudes decantandas vocem audirent non autem expectare vltimum campanæ motum, & auari irreligioſique hominis præ ſe ferre notam deſinente campanarum ſono ad Eccleſiam certatim accurrere, & inſtar venatorii canis hiante ore ſpiritum trahere.

§. 3. Valde ergo laudabile eſt, & obſeruatu digniſſimum, vt dato vltimo ſigno conueniendi in chorum vel citiùs, ſinguli Clerici, antequam in illam ingrediantur, in Sacriſtia ſeu alio loco ſuum induant habitum choralem, tuncque bini procedant in chorum, primò ſeniores, deinde iuniores, niſi incedant proceſſione ſacrâ, hoc tamen intelligendum eſt de feſtis ſolennioribus ſufficit enim alijs diebus, qui non ſunt primæ aut ſecundæ claſſis, aut non ſo omnes, vt congregentur in Chorum horâ conuenienti.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 15.*

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 3.*

§. 4. Quando autem incedunt proceſſione ſacrâ cum Ceroferarijs, & Celebrante parato, cum aſſiſtentibus, vt ad veſperas ſolennes, præcedunt primò iuniores, tum ſeniores, mox aſſiſtentes parati, & vltimo celebrans.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 16.*

§. 5. Cùm peruenerint ante Altare, omnes genuflectunt, ſi in eo ſit Tabernaculum SS Sacramenti, at verò ſi ſit in Altari tantùm Crux, & ſint Canonici, hi profundè ſe inclinant, alij verò ſemper genuflectunt, tum ſinguli ad locum ſui ordinis accedunt, vbi genuflexi manent orantes, donec detur ſignum ſurgendi, & incipiendi à ſuperiore, quo dato ſurgunt & ſtant, vniformitatem in omnibus, quantum fieri poteſt, obſeruantes.

*Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 30.*

§. 6. Altiſſimum in Choro ſeruari debet ſilentium, nec vlla prorſus in illo debent haberi colloquia, niſi quis cogatur ex neceſſitate loqui de ijs quæ tantùm ad functionem ſuam pertinent, nemo in Choro priuatim officium dicere debet, atque vocem Choro ſubtrahere, nemo literas, aut libros quoſcumque, præter Breuiarium, aut Diurnale, eaque tempore debito, & cùm opus eſt legere: neque vt alterius errorem corrigat murmurando, ridendo, vel alio modo publicum officium perturbare, Neque hac aut illac, vano animo curioſoque oculo reſpicere: multò minùs huc atque illuc per templum vagari, aut confabulandi gratiâ, ſine neceſſitate in Sacriſtiam vel alium angulum recedere.

*Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 5.*

§ 7. Quiſque manus benè pariter compoſitas, complicatas videlicet, vel iunctas, vel ſuper genua, ſi ſedent,

ſedent, extenſas, ſi aliquando opus eſt, habeat, ſi librum non tenet, nullas item deferre debet Chirothecas ſub officio diuino, pedes etiam bene compoſitos, & quaſi ſimul bene iunctos, nec vnquam vnum ſuper alterum tenere, nec eos etiam ſuper ſedilia inferiora eleuatos habere.

§. 8 Omnes modeſtè ſuis ſubſellijs innixi manere debent nec loca mutare, ne occaſione quidem flectendi genua in alio commodiori loco.

§. 9. Omnes in ſtando, genuflectendo, aut alio quouis actu vniformitati ſtudere debent, quando ſimul omnes eadem facere conuenit: nemo in dimittendis, attollendisque ſedibus, vel per Chorum incedendo ſtrepitum facere debet, & qui ante finem diſcedere cogitur, conuenit vt aliquantulum extra ſedem, vel omninò in plano Chori hinc inde ſe inclinet, ſemperque in ingreſſu, & egreſſu maiori reuerentiam facere omnes debent.

§. 10. Cumque aliquis Antiphonam intonaturus, vel aliquid aliud facturus, pertinens ad commune officium, ſurgit, reliqui omnes, vel ſaltem ij qui ſunt in eadem parte Chori, etiam ſurgere debent, dummodò non ſint ſuperioris ordinis. *Carem Epiſ. lib. 1. cap. 18.*

§. 11. Omnes promptè, & ſine cunctatione ſimul ſurgere debent, paulò antequàm finiatur aliquid, poſt quod ſtandum eſt, aut genuflectendum, nec antè ſedeant, quàm id quod ſequitur priùs inchoatum fuerit, v. g. cùm lectiones dicendæ ſunt, non antè ſedeant quin priùs Chorus reſponderit *Amen* ante initium Lectionum.

§. 12. Si quis ex Clericis iam inchoato officio vel Miſſa, veniat in Chorum, ante Altare genuflexus, parumper orat, tum ſurgens, ibidem facit iterum debitam reuerentiam Cruci Altaris genuflexionem, deinde inclinatus ſalutat Superiorem & reliquos de Choro hinc inde nudo capite, qui etiam aſſurgentes eum conſalutant, ſecundum perſonæ qualitatem; Tum ad locum ſuum accedit. Qui autem egreſſurus eſt, priùs reuerentiam faciat Choro, & poſteà Altari. *Carem. Epiſ. lib. 1. c. 18.*

§. 13. At ſi interim in Veſperis aut alijs Horis, dicatur *Deus in adiutorium. Gloria Patri, &c.* Oratio, vltimus verſus Hymnorum, vel in Miſſa fiat Confeſſio, aut dicatur Euangelium, vel denique aliquid aliud, ad quod Chorus vel ſtat, vel eſt inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectet reſpectiuè ſtans vel inclinatus,

clinatus, vel genuflexus ſeparatim in medio Chori, prout ipſe Chorus, & mox factis reuerentijs, vt ſupra, ad locum ſuum accedit.

*Cæremon. Epiſ. lib. 1. c. 26.*

§. 14. Aliquo abſente, conuenit vt, qui proximè illum ſequitur, aut ſi infra ſe alius non fuerit, qui immediate ſuper eum erit, ſuppleat vices illius.

§. 15. Quod ſpectat ad Cantum Eccleſiaſticum, vitandus eſt quantùm fieri poteſt, cantus laſciuus, profanus, raucus, aſper vel diſſonans, ſed vox cantorum ſit canora, ſuauis, liquida, atque acuta habens ſonum, & melodiam ſanctæ Religioni conuenientem. Audiant Cantores, quid de Cantoribus dicat B. Birgitta; Clericorum inquit, cantus non ſit preſſus, non fractus, non diſſolutus, ſed honeſtus, & grauis, vniformis, & per omnia humilis, pſalmodia plus redoleat ſuauitatem mentis, humilitatem & deuotionem, quam aliquam oſtentationem. Non vacat culpa animus, quando cantantem plus delectat nota, quàm res quæ canitur, omninoque eſt abominabile Deo quando mentis eleuatio plùs fit propter audientes, quam propter Deum.

*Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 28.*

§. 16. Neque Clerici Angelicum cantandi officium, pigri, ſomnolenti, neque oſcitantes, neque ſine cauſa parentes vocibus ſed alacriter peragere debent, & quo maiore funguntur honore, quoue nobilitatis genere ſecundum carnem fuerint clariores, eò clariore voce & affectu omnes pariter ſenes cum iunioribus, in Pſalmis, Hymnis, & canticis laudare debent nomen Domini, non autem inſtar mutuarum ſtatuarum ſtallum Chori occupare.

§. 17. Singuli verſus, ſingula verba, ſingulæque ſyllabæ, ad gloriam, honorem, & cultum Dei, ad cantantium & audientium ædificationem, ſtudioſè, reuerenter, diſtinctè, clarè, & intelligibiliter pronuntianda ſunt vt canentium & audientium mens, ſenſus verborum percipiatur, priuſquam verba ipſa tranſmittantur: minime verò ſyllabæ ſyllabis, verba verbis, verſus verſibus inuoluendi. Præterquam enim quod præceps & inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat quàm adijciat, populum magis ſcandalizet, quàm ad deuotionem & pietatum excitet; magnam quoque animi impotentiam; atque imperfectionem Cantorum arguit: eoque potiùs effreni quodam animi rapi, quàm rectæ rationis imperio duci conuincit.

§. 18. Eccle-

§. 18. Eccleſiaſtici minimè ſe ſatisfeciſſe arbitrentur, ſi inani verborum ſono, voluntariâ diſtractione, & non attendendi animo dent ſine mente ſonum; vt ſint velut æs ſonans aut cymbalum tinniens, ſed eadem quæ dicunt intelligant; aut cor ſuum ſeque ipſos totos in hoc quod verba ſonant conforment: vt ijs quæcumque legunt aut cantant correſpondeat in animo cantantis aut legentis internus pietatis affectus, & cantent in vocibus, cantent in cordibus voceſque eorum, voces ſint Chriſti, voces ſint Spiritus Sancti, non voce tantum tenens, & miniſterio, ſed & affectu, deſiderio, opere, totiuſque interioris & exterioris hominis ſimilitudine ac conformitate.

§. 19. Omnis cantus eâ moderatione inchoandus eſt, vt cum ſuaui vocis modulatione, ſine incondita vociferatione, boatu, vociſque raucedine, aut defectu perfici queat: vt verè cantus ſit, & non clamor, aut diuerſarum vocum ſtrepitus. Optimus enim ille cantus eſt, qui moderatâ ac alacri modulatione ſuauiſſimus eſt.

§. 20. Curandum quoque eſt, vt ſub diuinis officijs in ſedendo, ſtando, genuaflectendo, incipiendo, dimittendo, extollendo, finiendoque vocem omnes & ſinguli, vnum eundemque ſeruent tenorem, modum & ordinem; vt externa illa harmonia, internæ deuotionis & charitatis vnitas iuuetur, illiuſque vna perfecta, in omnibus naſcatur ſimilitudo Nullus quidquam facere debet, quo ſingularis præ alijs videri velle notari poſſit. Omnes tanquam vir vnus, anima vna vox vna, pariter incipere, pariter progredi, pariter ſubſiſtere, pariter finire: vltimamque verſiculi ſyllabam, nemo pro alijs aut protrahere, aut præcipitare, ſed eadem menſura qua priores decantatæ ſunt, eandem conformiter finiri debent.

§. 21. Inſuper notandũ quædam cantanda eſſe tardiori, & ſolenniori, alia verò minùs ſolenniori cantu; alia item cantanda potiùs recitando quàm cantando. Diebus Dominicis & feſtiuis ob eorum ſolennitatem, cantus tardior eſſe debet, & ſolennior, præſertim Hymnorum, Canticorum *Magnificat, Benedictus Dominus Deus Iſrael, Nunc dimittis*, Hymni *Te Deum laudamus* & aliorum omnium, ſicut omnium etiam Pſalmorum, quam diebus ferialibus, ſimiliter etiam in Officio Canonico, quàm in Officio de B. Maria. Item verſus *Gloria Patri & Filio* poteſt etiam ſolenniori vocis modulatione recitari.

§. 22. Offi-

§. 22 Officium Defunctorum quod dicitur in principio menſis, in Aduentu & Quadrageſima, non ſolenniter Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales, regulariter dicuntur in directum, ſed tamen clarè, & diſtinctè ab omnibus proferri & audiri debent.

Denique omnis Eccleſiaſticus, tam in Choro quàm extra eum conetur in omni cantu, lectione, oratione aliiſque functionibus ſacris veram in ſe excitare fidem quâ ſe quiſque Diuinæ Maieſtati aſſiſtere, & cum Deo viuo & vero agere credat. Ex hac fide naſcatur verecundia, quâ ob diuinæ Maieſtatis excellentiam, & multiplices offenſiones proprias perſuaſum eſſe decet hominem peccatorem, impetrandi, & obtinendi alicuius gratia Deum accedentem. Verecundiæ adſit humilitas, qua ſe in omni virtute puſillum agnoſcat & de proprijs meritis nihil altum, aut præſumptuoſum ſapiens diffidat. Humilitatis indiuiduus comes ſit ſpes, qua cor contritum & humilitatum, licet non omni quantum decebat exornatum & inſtructum virtute non deſpiciendum ſe, nec aſpernandum ſentiat. Spei coniuncta ſit fiducia, qua orantis animus in ſpe exauditionis confirmetur, nec ſe in vanum laborare, aut fruſtrà in miniſterio cultus Dei verſari confidat; ſed præmium in Domo Dei habitantibus, & in eadem cum conſenſu ambulantibus promptum ſe conſecuturum ſperet; quod omnibus decorem Domus Dei diligentibus opto & precor.

PARS